



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De quadripartito Episcoporum ordine. De vate. De cantore. M

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

speculator est præpositus in ecclesia: dicitur eo, quod speculetur atque perspiciat populorum infra se positorum mores & vitam. Pontifex est princeps sacerdotum, quasi via sequentium. Ipse & summus sacerdos nuncupatur: ipse enim. Leuitas & Sacerdotes efficit: ipse omnes ecclesiasticos ordines disponit.

De quadripartito ordine Episcoporum. M

Ordo a. episcoporum quadripartitus est, scilicet in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, & Episcopis. Patriarcha Græce summus patrum interpretatur: quia primum scilicet Apostolicum tenet locum: ut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus: sed omnium summus est Romanus. Archiepiscopus, princeps episcoporum, archos enim Græce, Latine princeps dicitur. Metropolitanæ a. à mensura ciuitatum dicuntur. Singulis enim prouinciis & ciuitatibus præminent: quorum auctoritati & doctrinæ ceteri sacerdotes subiecti sunt. Sollicitudo enim totius prouinciæ, ipsis episcopis commissa est. Omnes autem superius designati ordines, episcopi nuncupantur. Nota quod archiepiscoporum nomine, primates superius significasse videtur, & metropolitanorum, quos nunc archiepiscopos dicimus. Horum a. differentio à gentilibus introducta videtur: qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant. Sacerdotes enim gentilium flamines dicebantur, qui habebant in capite pileum, in quo erat breuis virga, desuper habens aliquid lanæ, quod cum per æstum ferre non possent, filum tantum in capite ligare cœperunt. Nudis enim capitibus eis incedere nefas erat. Unde à filo, quo utebantur flamines dicti sunt: quasi flamines. Sed festis diebus filo deposito pileum imponebant pro sacerdotii eminentia. Vates à vi mentis appellati sunt: cuius significatio multiplex est. Modo enim sacerdotem, modo Prophetam, modo Poetam significat. Cantor vero vocatur, qui vocem modum

Isid. cap. 12. lib 7. etym.

Isid. ad fin. cap. 12. lib. 7. etym.

modulatur in cantu. Huius sunt duo genera: Præcentor & succentor. Præcentor, qui vocem præmittit in cantu: Succentor, qui subsequenter canendo respondet. Concenter a dicitur, quia consonat. Qui a non consonat nec concinit, concenter non erit. His breuiter tractatis admonedi sunt Christi ministri, quatenus sicut excellunt ordinis dignitate, ita præcelant vitæ sanctitate: & plebs ei commissa, eorumque disciplinis edocta, grante eis obediat, & eorum imitatione de die in diem proficiat, à quibus diuina sacramenta percipiunt, & missarum solennia audiunt.

Missæ autem dicitur, vel quia missa est hostia, eius ius commemoratio fit in illo officio: vnde dicitur. Ite missa est, id est, sequimini hostiam, quæ missa est ad cœlestia, tendentes post eam, vel quia missus cœlestis venit ad consecrandum dominicum corpus: per quem ad altare cœlesti defertur hostia. Vnde & dicitur, Ite Missa est.

DE ORDINATIS AB HÆRETICIS.
DISTINCT. XXV.

Solet etiam queri. Si hæretici ab ecclesia præcisi & damnati possint tradere sacros ordines: & si ab eis ordinati, redeuntes ad Ecclesiæ unitatem debeant reordinari. Hanc questionem perplexam ac penè insolubilem faciunt doctorum verba: qui plurimum dissentire videntur. Videntur enim quidam tradere, hæreticos sacros ordines dare non posse, nec illos, qui ab eis ordinati videntur, gratiam recipere. Dicit enim Innoc. Arrianorum clericos non videri suscipiendos, cum sacerdotij vel ministerij alicuius dignitate: quibus solum baptisma tantum esse permittit, quod in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti percipitur. Dicit etiam eos non posse dare Spiritum sanctum quem amiserunt: & ordinatos ab hæreticis, caput habere vulneratum: & eum qui honorem amiserit

*Innoc. princ.
epist. 18.
Alexandro
epif. Antio.
cap. 3.
Idem epi. 22.
ad epif. Ma-
ced. ca. 3. 4.*